QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ Martii 1711.

M. MICHAELE PICHONNAT, Doctore Medico, Præside.

An Valetudo ad stateram æstimanda?

I.

CONSTANS Corporis solidorum fluidorumque concordia sanitas est, sociatâ hâc harmoniâ naturales perficiuntur functiones. Has inter præcipuæ alimentorum Coctio, inutilium separatio. Nusquam magis viget corpus, quàm cum opus illud ad stateram: hinc nihil aliud Medicina quàm adjectio & detractio. Coctio non una, tantæ molis est Corporis nutritio. Prima in Ventriculo Chylosis; altera in Pulmone Hæmomosis; in magnis vasis Hæmatosis; in minimis Trophe seu Nutritio. Tot indicia conversi in varium liquorem alimenti, quot vocabula. Chylum non conficit calor innatus, aut simplex vis coquens Stomacho insita; non dissolventia illa vulgarium æmula; hæc aquam Stygiam procertò redolent, eorum licet fautores prædicent acida, vel dilutè salsa. Hihil hîc quoque confert unus tunicarum Ventriculi motus, diaphragmatis ac Musculorum Abdominis compressione adjutus. Una, quæ liquor est universale menstruum participans, saliva Chylosim perficit. Illa nobis etiam invitis hausta & in stomachum continenter depluens, partesque alimentorum reconditiores sensim sine sensu subiens, has absque tumultu ab invicem sejungit adjuvantibus, quæ in suis includit penetralibus, nitro salinis corpusculis; mediante quoquè motu, quem à subtilioribus mutuatur aëreis particulis. Exiliores Ventriculi fibras dividere, corrodere, minusve digerere valet blandum istud & mite Nitrosalinum menstruum, quod vasa salivaria toto vitæ spatio nec corrodit, nec digerit. Sal illud in salivâ unde elicitur contentum, verum est menstruum universale, quòd ut corpora in suum ens redigit, sic alimenta in sua principia componentia valet redigere. Hâc igitur ratione alimenta convertuntur in fluidum, quod è Ventriculo descendens Chymus vocatur, cujus purior adhuc pars à lacteis absorpta Chylus est. Hic per vias satis notas in sinistram Axillarem & inde in venam cavam descendit, atque per Pulmonum arteriam ultimos Pulmonum subit recessus; in quibus secunda Coctio, hoc est Hæmomosis absolvitur.

II.

PULMO follis est, quo flante ignis naturalis manet accensus, quo quiescente extinguitur; spiraculum quoque vitæ dicitur, quo diducto retinetur Anima, præcluso avolat. Duplicis generis vasa obtinet hoc viscus; aerea & sanguinea. Aerea sunt aspera Arteria ejusque propagines, quæ aerem inspiratione excipiunt; expiratione extrudunt. Sanguinea sunt Arteria & Vena Pulmonum. Illa sanguinem adhuc crudum per totam Pulmonum substantiam defert; hæc eumdem minus crudum ad Cor revehit. Alternatim intumescunt & desidunt perpetuò Pulmones. Hâc assiduâ motûs reciprocatione sanguis ater teritur, digeritur, coquitur, nullo in vasa sanguinea dato aeris commeatu. Unam ad sanguinem terendum & coquendum vasorum sanguineorum pressionem facere satis monstrat aeris natura, Pulmonumque vesicularum configuratio. Aer tribus constat corpusculorum generibus. Alia, quæ subtilissima sunt & variæ figuræ, celerrimé moventur, & quoscumque meatus penetrant; altera, globulosa sunt & ad majorem motum disposita; tertia variè configurata sunt, ex diversis orta concretis. Primæ & secundæ harum particularum speciei fluiditas inest maxima; tertia vim habet elasticam; unitæ omnes gravitatem producunt: Trachæarum seu Pulmonum vesiculæ sphæroides sunt. Hâc aeris compositione, hâc vesicularum figurâ sanguineorum fit compressio vasorum, in quibus tunditur & conteritur sanguis. Pectore scilicet costarum elatione, diaphragmatis depressione ampliato, aer suæ gravitatis pondere in Pulmones descendit, sui elateris vi sphœricas prorsus reddit vesiculas, suâ tandèm fluiditate statim ab hoc viscere avolandus: tum desidunt Pulmones, vesiculæ coarctantur, quæ pristinam recuperantes figuram in omnibus punctis sese tangunt, & quàm maximè vasa comprimunt: sic crudæ & nigræ quæ per venam in Pulmonem delatæ fuerant particulæ, rubescere incipiunt, dum ad Cor rursùs appulsæ, novo repetitoque tritui subjectæ ultimum assequuntur rubedinis gradum; mox in magnis vasis tertiam recepturæ coctionem, quæ Hæmatosis est.

III.

HÆMATOSIS est actio qua sanguis generatur. Nomine sanguinis intelligitur fluidum intrà totius corporis arterias & venas reconditum, illius massam ex quatuor tantoperè decantatis olìm humoribus, bile, melancholiâ, sanguine propriè dicto, & pituitâ componi, veterum est opinio jam obsoleta. Nec magis arridet hanc principiis Chymicis conflare, spiritu, sulphure, sale, aquâ & terrâ; quæ licet ex omnibus extrahantur mixtis, fucata haberi possùnt: num enim violentia ignis facies rerum non pervertit? Num artis opus ab operibus naturæ nòn differt? Duplicem massa sanguinea genuinam habet partem: unam rubram quæ grumus sanguinis vocatur, globulis Constans inrer se ita dispositis ut lumen ab ipsorum congerie reflexum, colorem rubrum exhibeat; alteram serosam quæ Lympha dicitur, & præter excrementa corpori vel inutilia, vel utilia, nutritiam quoque

continet gelatinam. Hæ ſanguinis partes in Pulmonibus crudæ adhuc ſunt, in corde & arteriis matureſcunt; leviter nimirùm in Pulmonibus, in corde & arteriis fortiùs teruntur. In his ſanguinis quoque motum adjutorem habent, ut tritus iſte, tùm cordis & arteriarum, tùm ſanguinis motu abſolvatur. Dùm ſic teritur ſanguis, defœcatur cùm excernenda excludat, puriorque ſic & lympidior evadat lympha, partibus nutriendis tunc ſolùm apta. Hinc quarta Coctio ſeu nutritio naſcitur: illa hæmatoſeos perfectio eſt & appoſitio particularum nutritiarum, quæ correſpondeant vacuis à quibus ſimiles particulæ illa ſpatiola priùs adimplentes avolarunt. Harum coctionum perfectio ſanitatem conſervat, defectus labefactat: ſed illa perfectio, hic defectus cognoſcuntur facilè, ſi Valetudo, ſeu hominis ſtatus ad ſtateram æſtimetur. Hinc non abſurdè Sanctorius: *ſi à ſomno corpus redeat ad conſuetum pondus, abſque omni ſenſu moleſtiæ bonum, ſignum enim eſt perfectæ concoctionis; ſi verò cum moleſtiâ, malum.* Iſte aphorimus explicatur proximè ſequenti, confirmaturque hocce altero: *reditus ad conſuetam gravitatem crudorum ſuccorum additamento eſt malus; coctorum verò, eſt ſaluberrimus.*

IV.

HISCE coctionibus ritè præparatis, ſanitas diù conſervatur integra, modò excrementa ab illis reſidua & producta, vel ſtatis temporibus, vel jugiter ſecernantur, ab interioribus excludantur, propellanturque foras. Secùs Valetudo à ſtatu naturali deflectit, multa interveniunt mala, infarctus in veſiculis, in filtris impedimenta, in liquoribus corruptio & putredo; undè partium læſio, functionum imminutio, vel depravatio, viſcerum languor, tonuſve inverſus. Hæc vitare nequis, niſi ad corporis pondus attendas; quô excretionis vitium, indèque ſanitatis damnum ſignificatur: corpus ſcilicet quinque vel ſex dierum curſu ſi augetur, tunc non equidem ſtatim, ſed paulatim tollendum eſt. Quadruplex eſt excrementorum genus. Primum, craſſum illud quod per alvum ſemel aut bis in die foràs protruditur; ſecundum illud eſt, quod expiratione ejicitur; tertium eſt ſputum, nariumque mucus, & urina; quartum denique eſt, materies inſenſilis tranſpirationis, quæ per corporis poros continenter avolat. Inteſtina ſanguinis motio has promovet excretiones; ut enim in aquæ etiam limpidæ lento igne ſuppoſito ſuperficie generatur; ſic in calidi ſanguinis ſuperficie particulæ heterogeneæ natantes, propriis committuntur incerniculis foràſque amandantur. Ablatis ſic quæ excedunt, purus fit ſanguis non aliter defœcandus, nec par futurus minimis ſubeundis vaſis, deperditiſque reparandis particulis. Hæ omnes perquàm neceſſariæ ſunt excretiones, ſed inter ipſas præſertim ultima, quæ inſignior & copioſior quinque octavas partes aufert. Ad hanc, Valetudinis perpendendæ causâ, animum ſeriò advertamus; ab illius retentione putredo, à ſuppreſſione mors evenit: ſtaterâ ſi corpus examinaris, videriſque conſuetum perſpirabile retineri, & ſudorem vel lotium per aliquot dies non faceſſere; inde cognoſces retentum prænuntiare putredinem; *Si ſobrii & in victu temperati præmaturè moriantur, amici mirantur novitatem, quia de perſpiratione inſenſili nihil ſciunt.* Hujus quarti coctionum excrementi retentionem unà ſta-

teræ viâ si nôn solùm conjici, sed nosse est; huic uni ipsi quoque futura relinquitur certiùs præcavenda arcendave putredo.

V.

HÆC sunt recrementa, à quorum excretione jucunda pendet vel incommoda Valetudo. Præcipuum rei caput insensilis est transpiratio, cui attentus maxime sit quicumque suæ sollicitus est sanitatis. Illius sola perspiratio longè plenior est, quàm omnium excretionum simul unitarum copia; per hanc unicâ die naturali tantùm evacuatur, quantùm quindecim per alvum. Hinc tutiùs citiùsve ex perspirationis alteratione, quàm ex læsis officiis prima cognoscuntur morborum semina. Ad hæc statim opprimenda conducit istæc cognitio, quæ quandò addendum, quandòve auferendum indicat. Stat enim firma Valetudo aureâ mediocritate, quæ consistit in addendis aut evacuandis, ut ipsemet pronuntiavit Hippocrates; *Morbos quicumque ex repletione fiunt, curat evacuatio; & qui ex inanitione, hos curat repletio.* Inde cognosces alimenti tibi salubrioris genus, illiusque, & aliarum rerum non naturalium modum: corpus quippe cùm Staterae examini subjicies, perspirationis advertes quantitatem, coporisque pondus, quibus tuta stat firma & incorrupta Valetudo, quibusque si serventur, stabit. Nec malum timeas, si corpus gravioris reperiatur ponderis; imò ut bonum accipias, modò cum hoc pondere ad agendum sit alacritas. Notitiam convenientis tibi ponderis desideras? Hanc habebis normam, ut illud pondus salubre sit, quò dum acclivia ascendis, solitò leviorem te persentis. Si revocato ad Staterae legem corpore, num quid crassiorum excrementorum, quidve insensilis, quæ maximi est momenti, transpirationis retentum fuerit deprehendimus; si genus alimenti, ejusque, & aliorum quæ bonam tuentur Valetudinem modum cognoscamus; quid plura? si hâc observatâ lege, vacillantem firmare Valetudinem, amissam restituere, firmam præsentemque conservare facilè possimus, vitamque in multos protendere annos, hæc certè aspernenda, vel respuenda non est, quin potiùs colenda nobis venit & amplectenda.

Ergò Valetudo ad Stateram æstimanda.

Proponebat Parisiis ANTONIUS DE JUSSIEU Lugdunæus, in horto Regio Parisiensi Botanices Professor Regius & Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud viduam Francisci Muguet Typographi Regis & Facultatis Medicinæ. 1711.